

bam, jam tum in gerendo spargere me, ac disseminare
 arbitrabar in orbis terrae memoriam sempiternam. Haec
 vero sive a meo sensu post mortem absutura est, sive, ut
 sapientissimi homines putaverunt, ad aliquam animi mei
 partem pertinebit: nunc quidem certe cogitatione quadam
 speque delector. Quare conservate, judices, hominem pu-
 dore eo, quem amicorum studiis videtis comprobari, tum
 dignitate, tum etiam vetustate: ingenio autem tanto, quan-
 tum id convenit existimari, quod summorum hominum in-
 geniis expetitum esse videatis: causa vero ejusmodi, quae
 beneficio legis, auctoritate municipii, testimonio Luculli,
 Metelli tabulis comprobetur. Quae cum ita sint, petimus a
 vobis, judices, si qua non modo humana, verum etiam divina in
 tantis negotiis commendatio debet esse, ut eum, qui vos,
 qui vestros imperatores, qui populi Romani res gestas semper
 ornavit; qui etiam his recentibus nostris, vestrisque domes-
 ticiis periculis aeternum se testimonium laudum daturum esse
 profitetur, isque est eo numero, qui semper apud omnes
 sancti sunt habiti atque dicti; sic in vestram accipiatis
 fidem, ut humanitate vestra levatus potius, quam acerbitate
 violatus ese videatur. Quae de causa pro mea consuetudine,
 breviter simpliciterque dixi, judices, ea confido probata esse
 omnibus: quae non fori, neque judiciali consuetudine, et de
 hominis ingenio, et communiter de ipsius studio locutus sum,
 ea, judices, a vobis spero esse in bonam partem accepta;
 ab eo, qui judicium exercet, certe scio.

ORATIO II.

PRO M. MARCELLO.

Diurni silentii, P. C., quo eram his temporibus usus,
 non timore aliquo, sed partim dolore, partim verecundia,
 finem hodiernus dies attulit: idemque initium, quae vellem,
 quaeque sentirem, meo pristino more dicendi. Tantam enim